

4 2590
DISPUTATIO INAUGURALIS IURIDICA
DE
CONSENSU TACITO¹⁹

QUAM
AVXILIANTE DIVINO NUMINE
EX DECRETO ET AVTHORITATE
MAGNIFICI IN ALMA JULIA ICTORVM ORDINIS
PRÆSIDE

JOHANNE VVILHELMO
ENGELBRECHT

J. V. D. IURIS FEVDALIS ET CANONICI
PROF. PVBL. ET ORDIN. ICTORVM
H. T. DECANO
PROMOTORE ET PATRONO
SYMME COLENDO

PRO LICENTIA
SUMMOS IN VTROQUE IURE HONORES
RITE CAPESSENDI PLACIDÆ ERVDI-
TORVM DISQVISIONI
AD DIEM VII. MAII MDCCXI.
HORIS ANTE- ET POMERIDIANIS
PVBLICE SVBMITTET

IOHANNES GEORGIVS Becker
IURIS PRACT. WANFRIDANVS - CATTVS.

☉ (:o:) ☉

HELMSTADII
TYPIS GEORG-WOLFGANGI HAMMII, ACAD. TYPOGR.

r. s. jur. civ.

118, 34

19

DISPUTATIO MAJORALIS IURIDICA
DE

CONSENSU FACITO

ONNI
AUSPICIIS DIVINO NUMINE
SACRISQUE
MAGISTRORUM

IOHANNIS WILHELMO
ENGBELBRECHT

IN P. IURIS LEGUMQUE ET STATUTORUM
PROFESSORIS
H. R. C. S. C. A. N. O.
L. M. O. T. O. R. I. S. P. A. R. I. S. I. S. I. S. T. I. T. U. T. I. O. N. I. S.

PRO F. I. C. E. N. S. I. A.
S. V. M. I. S. S. I. N. V. I. R. O. T. I. S. I. S. T. I. T. U. T. I. O. N. I. S.
S. R. I. T. E. C. A. N. S. S. E. N. D. I. T. A. H. E. R. E. R. I. T. I.
T. O. R. N. I. D. I. S. C. I. P. L. I. N. A.
A. D. D. E. M. V. I. M. A. G. I. S. T. R. A. T. O. R. I. U. M.
M. A. G. I. S. T. R. O. R. U. M. S. U. P. E. R. I. O. R. U. M.
I. U. R. I. S. S. U. M. M. I. S. T. R. A. T. O. R. I. U. M.

IOHANNES GEORGIVS S. M. A.
P. R. O. F. E. S. S. O. R. I. U. S. I. U. R. I. S. I. S. T. I. T. U. T. I. O. N. I. S.

IN P. I. U. R. I. S. I. S. T. I. T. U. T. I. O. N. I. S.
P. R. O. F. E. S. S. O. R. I. U. S. I. U. R. I. S. I. S. T. I. T. U. T. I. O. N. I. S.

* (3) *

B. L. S.

Eruditionis haud minimum est impedimentum, ea tantum, quæ in oculos incurrunt à plurimis appeti, inque bonis corporeis felicitatis ab iisdem constitui verticem; è contra animi dotes tanquam laboriosas & inutiles negligi. Cujus erroris saniores tantum judicabunt visum, quanta inter corpus & animam, rationem & brutum nobilis est differentia. Prout enim corpus & simul omnia corporea, vana, caduca atque successu temporis peritura, ita è contra ceu divinae & aeternae depraedicantur animæ rationalis operationes. A vero quidem alienum non est, veram & solidam, præprimis LL. Civilium eruditionem non nisi superstitiosa & interruptâ parari diligentia & lucubratione, quid? quod, practica solidari applicatione: Attamen præterea, quod virtus sibi quò difficilior eò pulchrior merces sit, præterque alia præmia debito & solito coronabitur honoris præmio. Eundem reportaturus statim à puero inde bonarum artium fundamentis imbutus perpeffoque sudore Scholastico, in secunda ætate dimissus sum ad Academiam Marburgensem, ibidem studium Mathematicum per triennium absolvi, habitaque Disputatione de Horologio Abaz valedixi. Post hæc adi-vi per-antiquam Academiam Geranam ibidemque Themidi litare incepti. Demum captus famâ Per-Illustris Dni. Joh. Henrici Cocceji August. & Potent. Regis Borussiae Consilarii Intimi atque in Viadrina Antecessoris Primarii, contuli me ad Almam Viadrinam, ubi prælaudatum Dn. Coccejum per triennale spatium Jus Naturæ non minus quam Civile explicantem maxima cum delectatione audi-vi. Postliminio verò in patriam reversus manum ad-


movi ad praxin judicariam non sine felici successu. Jam ratio quædam exigere videtur, ut exitum sortiantur hæc promotionis solennia, quæ cum secundum instituta S. LL. Illustrissimæ hujus Acad. Juliæ, specimen aliquod Disputatorium desiderent, præprimis se mihi commendavit Consensus Taciti materia, idque ideo, quod ipsam ab indoctis Causidicis absurde non minus quam superflue in praxi usurpari non raro observaverim. Tu vero B. L. hæc quantulacunque sunt boni consules, sique non omnia acu tetigerim non mihi sed impedimento strepitûs judicarii benigne imputabis.

Summaria Disputationis.

§. 1. Fundamentum Consensus Taciti ex jur. Nat.

§. 2. Ex jure Civ.

§. 3. Partitio fundamenti & requisita, dum factum dividitur.



§. 15. Transitus habetur ad quosdam casus anomalos.

§. 16. Casus anomalus I.

§. 17. II.

§. 18. III.

§. 19. IV.

§. 20. V.

§. I.

Sanctissimum jus Naturæ in prohibitione sive restrictione facultatis nostræ naturalis consistere, prohibitionemque vel ad magnam partem ex facto Creatoris perpetuo probari certum est, *ad Rom. c. 1. v. 19. 20. verb. Gentibus ex ipso facto creationis Jus Natura innotuisse.* Licet enim Deus Decalogum populo suo Judaico scriptis publicaverit, hoc tamen LL magis repetitio quam latio fuit, cum & longo ante Decalogi publicationem Juri Naturæ sua fuerit authoritas.

§. II. Hunc legislationis modum Jus Civile tam in LL ferendis, quam obligationibus aliisque juribus introducendis multoties secutum est. Consuetudinem enim sive jus non scriptum illud appellat, quod tacita Legislatoris voluntate & nuda taciturnitate, salvis tamen aliis requisitis introductum est, *l. 22. §. 1 ff. d. LL. §. 9. Inst. d. J. N. G. & C. arg. l. 6. §. 2. l. 18. ff. Mandati.* Porro in aliis negotiis privatis voluntatem aut ex verbis aut ex factis concludit *§. f. Inst. de her. qual. & differ. l. 5. ff. rem rat. hab. l. f. pr. & §. fin. ff. de divort.* Adde quod & hic voluntatis declarandæ modus ideo fortior sit, quod plures in hac universitate res quam verba sint, unam eandemque vocem variis rebus accommodari necesse sit, non potest non ambiguus interdum verborum effici sensus, cum contra ex factis clarissime appareat intentio agentis *l. 48. §. 3. de Edil. Edict. t. tit. de his que in Testam. mutuumque factum aliquando claram vincat locutionem t. t. C. plus valere quod ag. quam.* Jacto igitur thematis nostri fundamento, res ordine tractanda, modusque & requisita facti, ex quo in negotiis privatis tacitus consensus elici debeat, ex jure colligenda sunt.

§. III. Sciendum vero quod tacitus consensus colligatur **VEL EX FACTO PROPRIO**, ad quod omnino necessarium I. Scientia. II. Voluntas, quæ probatur A. ex illo quod facto necessario, vel B. plerumque cohæret. C. ex facti fine

(α) necessario (β) probabili III. Taciturnitas. **VELEX**

FACTO ALIENO, quod fit I. in re nostra II. Nobis præsentibus & scientibus III. quod prohibere possumus IV. Nobis tacentibus.

§. IV. I. De *Scientia* dicendum, cum velle sive consentire nemo possit, nisi qui sciat *l. 76. ff. d. R. f. l. 48. §. 3. d. furt. l. 2. in f. sol. matr.* Ex quo fuit silentium rem suam geri ignorantis, licet præsens sit, pro consensu non haberi, atque adeo si quis te quidem præsentem & tacente negotia tua gerat sed vel ignores geri negotia, vel id quidem videas, at nescias ad te ea pertinere, silentium hoc nec pro consensu, nedum pro mandato, quod alias consensu consistit, haberi poterit. Unde si te præsentem, scientem ac tacente transactum, vel sententia inter alios publicata fuerit, id tamen tibi non præjudicat, si nesciveris rem ad te pertinere *Covarr. pract. quest. c. 13. n. 7. Gail. 1. C. 70. n. 26.* Scire vero debemus negotium cum omnibus circumstantiis, si enim error in negotii circumstantiis inciderit, non magis ille hic, quam in verbali consensu præjudicat, e. g. Si cognatus cognato (qui jus retractus habebat.) scientem & patientem fundum vendiderit vilissimo pretio, & ille tanti venditum iri resciverit, adhuc retrahere potest.

§. V. II. Requisitum est *Voluntas* consensum constituens, ea vero, cum tacita & quasi ex facto oriunda sit, quomodo eliciatur præcipuæ nunc quæstionis est. Elicitur autem A. ex illo quod facto necessario cohæret; certum enim est, hoc ipso dum agimus ultro, velle nos id ipsum quod agimus, & quicquid actui illi necessario cohærere novimus: cum illud quod ita agitur nihil aliud sit, quam actio quæ a voluntate nostra proficiscitur, inde est quod in criminalibus etsi ea probationes luce meridiana clariores desiderent, sufficiat probari saltem factum, quo ipso etiam dolus qui facto illi necessario inest atque cohæret probatur v. g. si probetur aliquem ultro occidisse hominem, necessario etiam probatur animus occidendi, & dolus inde non præsumitur, sed demonstratur. Perinde est in aliis factis natura sua criminosis, uti quæ injuriam necessario inferunt: his enim probatis
a dea

ad ea voluntas injuriandi simul probatur, ut nec valeat protestatio in contrarium. Unde utrumque, quod à DD. asseri solet displicet, cum, quod ajunt præsumi in criminibus dolum, qui plene ita probatur, & ex facti evidentia certior redditur, quam ullis verbis: tum quod talem injuriam facta protestatione, *non fieri id animo injurandi*, cessare putant, si illa juvetur conjecturis: e. g. si magister discipulum, pater filium, dominus servum percusserint, ipsis maledixerint, aut si quis jocatus fuerit, sed perquam male: in iis enim exemplis si modica castigatio est, omnis cessat injuria, non ob id quod animus injuriandi deficiat, sed quia actus illi alii & in se liciti sunt; perinde ac si quis in bello, vel reus jussu judicis, vel aggressor jure defensionis necessariæ occiditur; nec injuriam ea continent nisi in excessu, quo casu protestatio injuriam non aufert. Hinc nec illos probandos puto, qui libellis, quibus crimen objicitur, vel testes ut infames rejiciuntur, inferendam clausulam docent: *nihil horum animo injuriandi; sed juris defendendi causa dici*. Aut enim ita objecta vera sunt, vel bona fide vera putantur, & nulla injuria est, criminis accusare, testes inhabiles rejicere, jus suum defendere, adeoque non opus est protestatione: aut qui objicit falsa ea esse novit, & injuriam facit, licet millies protestatus fuerit, cum protestatio nihil sit, nisi animi nostri declaratio, quæ nihil operatur nisi in iis quæ ab animo & voluntate nostra dependent.

§. VI. Elicitur porro voluntas B. ex illo quod facto plerumque cohæret, sive ex illo quod facile accidere inde posse novimus: Ita in duellis non quidem necessario cædes alterutrius sequitur; at constat sequi posse, adeo ut nemo suscipere duellum queat, quin hunc quoque casum cogitet, in illam cædem igitur, si secuta fuerit, consentit qui in duellum consentit, & sufficit hoc ipsum probari non animum. Sunt vero & tales casus, in quibus contingere quidem & cædes potest, sed adeo indirecte nec ex intentione actus, ut dubitare saltem possit, an percussor de cæde cogitaverit: uti si forte instrumento invento, cum percutere vellet, in eam partem ictus incidit, qua facile
vita

vita solvitur, & homo perit: certum enim est, id fieri posse citra ullam intentionem ferientis, ac proinde probato tali facto, animus occidendi non probatur, præsumptio autem in criminalibus non sufficit. Necessum ergo & tutius mihi videtur in re tanti præjudicii extraordinariam pœnam statuere *per l. 1. §. 3. vers. Sed si clavi l. ult. vers. quod si validis ff. ad L. Corn. d. Sicar.* Sane si rei licitæ operam dederit v. g. sclopeto ludens adstantem forte trajecerit, constat delictum non esse; sed culpam, cui carceris vel relegationis pœna decerni solet.

§. VII. Elicitur amplius voluntas C. ex facti fine: sapiens enim sine fine nihil plane suscipiet, quia illud est ob quod quid suscipimus primumque in intentione ultimum vero in executione. Ex quo indubie sequitur ex facti cujusque fine facientis consensum innotescere, quippe finis uti jam dictum voluntas & intentio agentis est. Cum vero finis pro ratione facti vel facientis non unicum sit; sed vel unicum & necessarium vel plures & probabiles faciens soleat habere fines, ideo ex necessario & certo fine certa, ex voluntario vero probabilis & vero similior saltem præferatur voluntas.

§. VIII. Dicendum igitur prius est (1) de fine necessario, cujus loco plurimum sufficiens exemplum est institutio actionum hæreditariarum ab hærede facta: si enim hæres instituit nomine proprio actiones hæreditarias, vix alius finis vel animus fingi poterit, quam adeundæ hæreditatis, cum nemo nisi hæres id possit; at si insulam saltem fulsit, servos pavit, patrem sepelivit &c. potest vel custodiæ vel ut alio jure Dominus, vel etiam ut hæres fecisse, ex quo proinde facto certa voluntas colligi nequit. *vid. l. 20. per tot ff. d. A. v. O. her.*

§. IX. Sequitur jam (2) finis probabilis, sive cum ex facto certa voluntas colligi nequit; sed præsumtionibus & conjecturis res agitur: si igitur id egeris; quod vel donandi vel credendi causa fieri potuit, ut in *l. 4. l. 32. ff. l. 12. l. 15. C. d. Negot. Gest.* videris credendi animo fecisse, quia donatio non præsumitur *l. 10. pr. ff. eod. l. 25. pr. ff. d. prob.* Si vero nulla alia causa subest, quam

quam donationis, donasse potius, quam nihil gessisse videris. Sic debitum reddito debitori chirographo, remissum censetur quod in chirographo continetur *l. 59. ff. d. leg. 3. l. 2. §. 1. ff. d. pact. pignore vero reddito, hoc saltem liberatum censetur l. 3. ff. d. pact.* Sed quid si plura creditor chirographa habeat, & unum tantum reddat? Anceps sane est præsumtio, cum tantundem rationis ex unius retentione quam ex alterius traditione oriatur, licet vero nubes DD. adsit, quorum altera pars pro creditore, altera vero pro debitore pugnet, debitoris tamen in hoc casu vices assumere non dubito, quia voluntas creditoris ex facto ejus quod alterum reddidit, non vero ex non facto, quod alterum retinuit, elicienda, & illius non hujus ratio quærenda est; eorum enim quæ agimus, (quia frustra homo sanæ mentis non agit) causa quæri debet, non vero omnium quæ non agimus. Cum vero redditus chirographi finis regulariter sit remissio debiti *l. 2. §. 1. ff. d. pact.* & vix alius finis conveniens dari queat, præsumitur in dubio illa remissio ex hoc facto contra creditorem, nisi alia causa probetur, aut forte præsumptionem alia conjectura fortior elidat, e. g. si Testator duorum Testamentorum alterum è publico abstulit, ac delevit, non intelligitur totam voluntatem tam solenniter & sollicitè confectam, & cujus tantus est favor, irritam voluisse, imprimis cum videri possit inspiciendi tantum animo tabulas è publico petiisse, & postea ceu supervacuas delevisse, nisi aliud probetur. *l. ult. ff. de his qua in testam. del. arg. l. 35. princ. C. de inoff. Test.*

§. X. III. Facti proprii requisitum est *Taciturnitas*: Hæc vero cum facto & factum vicissim cum illa ad eliciendum consensum tam necessario conjungi debet, ut hæc sine illo nullam vim aut efficaciam nullumque plane in natura sive jure effectum habeat, cum mera sit negatio, qua quis dicitur non loqui, tantum abest ut ex eo solo consensus vel dissensus ullumque præjudicium inferri possit, meritoque secundum *l. 142. ff. de R. J. c. 44. eod. in 6.* qui tacet neque consentire neque dissentire videatur. Ad hanc taciturnitatem vero amplius requiritur, ut

B

nullus

nullus alius finis tacentis subsit, quam facti finis. Si igitur tacens ideo taceat, quod iuste putet jus suum nihilominus & non obstante hoc facto sibi salvum manere, nullus plane consensus, quamvis omnia taciti consensus requisita adfuerint, inde suboriri vel concludi poterit. Exemplum habemus in creditore, quo praesente debitor pignus vendidit, ille enim creditor sc. cum ideo, non ut consentiret, sed quia sciebat jus suum ubique salvum esse, tacuisset, pignus quoque suum minime remississe censendus est *l. 8. §. 15. ff. quib. mod. pign. solv.* Secus vero est si Fideiussor distraxerit vel servus manumissus sit, quia tunc pignus salvum non est *ex rat. l. 7. in fin. pr. de dol. mal.* hoc ergo casu creditores in pignoris remissionem consensisse creduntur *l. 8. l. 1. C. de remiss. pign.* Hic enim est effectus consensus in pignore, qui ex eodem capite ducitur; sc. quod creditor in alienationem consentiens remississe pignus videatur *l. 7. pr. l. 11. ff. quib. mod. pign. solv.* cum enim debitor adhuc sit Dominus pignoris, adeoque illud jure suo alienare possit, nec consensu creditoris opus habet, non potest alia ratio petiti cujus consensus dari, nisi ut creditor jus suum remittat. Eodem modo remittent quoque filii jus *l. femina 3. C. de sec. nupt.* si expresse consentiant matris nuptiis: cum enim mater non teneatur filiorum suorum consensum in nuptiis petere, hinc alius finis, cur petierit, dari nequit, nisi ut jus suum in secundis nuptiis remittant. *Vid. Struv. Exerc. 29. & 53. qui hucusque admittendus.* Patet hinc aliud iterum esse si prior creditor consentiat, ut posteriori pignus detur: non enim videtur id animo remittendi pignoris fecisse, quia alia ratio dari potest, nimirum quod prioritatis jus tantum remissum voluerit *l. 12. ff. qui pot. in pign.* Quod rursus secus est quando primus consentit, non ut secundo sed ut tertio detur; hic enim remissio prioritatis medio secundo effectum habere nequit, adeoque sola ea ratio ac finis superest, quod pignus ipsum remissum voluerit *l. 12. pr. ff. quib. mod. pign. solv.* Aliud vero est in agnato, qui alienationi feudi ab agnato suo factae praesens est, sed non contradicit, hunc enim pro consentiente haberi, feudumque ita alienatum revocari
non

non posse contra *Hartm. Pist. lib. 2. Quæst. 7. n. 1. & seqq. & Carpz. Jurispr. for. p. 2. Const. 48. Def. 6.* rectè negamus, utut ab his allegatur ratio à nobis exposita quod sc. 1. jus agnatorum salvum sit non obstante alienatione & 2. illi contradicere vel prohibere non possint; quibus casibus tacens non videtur consentire, ut diximus. Nam 1. falsum est feudum agnatis salvum esse, quando id translatum est ad extraneos, uti *in d. l. 8. §. 15.* pignus salvum est creditori, ad quoscunque possessores pervenerit; hoc enim adeo apud omnes æque durat, ac si debitor ipse adhuc possideret, nec magis opus habet creditor ulla revocatione, quam si in eadem causa mansisset, quod secus est in feudo alienato, atque ex eo ipso, quod revocari id debet, patet quod salvum non manserit: & alias, si ideo jus salvum diceretur, quod actio quædam ad illud repetendum competat, nemo unquam silentio sibi præjudicare posset, quia semper supponitur jus vel remedium quod silentii consensu remittitur. Ita & 2. falsum est, quod agnati contradicere alienationi non possint, cum illa injuste & in eorum præjudicium fiat; nec enim Vasallus, qui de Feudo, nisi dum vivit, vel summum donec descendentes supersint disponere nequit, non potest plus juris in alium transferre, quam ipse habet, ideo nec jure perpetuo id alienare, quod proinde si facit, rectè contradicunt agnati, nec alienatio ita simpliciter facta valet *2. Feud. 39. pr.*

§. XI. Properandum nunc ad aliud facti genus sc. ALIENUM cujus requisitum est. 1. *ut fiat in re nostra* i. e. in qua dominium vel aliud jus in re vel ad rem vel etiam neutrum horum uti possessionem, (quæ facti tantum est) habemus; frustra enim rei alienæ & ad nos non pertinenti, consentimus, quia de jure alieno disponderemus.

§. XII. II. Facti alieni requisitum est, ut fiat *nobis presentibus & scientibus.* Hinc igitur cum primis absentis silentium nunquam est pro consensu, quia etsi sciat, contradicere tamen non potest actui, & is demum qui præsens & sciens tacet consentire videtur ut expressum est *in l. 2. pr. ff. ad municip. l. 2. §.*

ult. sol. matr. c. ult. d. accus. in 6. Unde quoque tale silentium vel absentis sive ignorantis mandatum esse non potest, quippe quod consensu constat, sed negotiorum gestio. Atque hinc plani fiunt textus quibus modo absentis, modo ignorantis negotia geri dicuntur; ignorantis scilicet sive præsens sit sive absens; absentis, sive sciat, sive ignoret: nam nec absens contradicere potest, etsi sciat, nec ignorans velle etsi præsens sit, adeoque neuter pro consentiente haberi. §. 1. *Inst. d. Obl. que quas. ex contr. l. 2. l. 11. l. 41. l. pen. ff. de neg. gest. l. 5. pr. ff. de Obl. & act.* Incidit hic vulgata quæstio: An absentis silentium ex quo præsens factus rescivit, pro consensu & ratihabitione haberi debeat? Quod recte negatur per *l. 12. §. 2. ff. Rem. rat. hab.* Ille enim qui ex postfacto id rescivit, actui nunquam præsens fuit, jamque res amplius integra non est, & aliæ longe sunt silentii causæ, nim. quod contradictio nunc inutilis sit, postquam actus jam gestus est, & infectus amplius fieri nequit; & proinde jure res nunc repetenda sit cum prohibitio in re jam gesta nulla sit. Sane si adhuc duret actus, cum Dominus resciscit, tacendo consentire videtur, quia præsens cum possit, non negat; uti qui prædium ad certum tempus locavit, si lapso tempore conductor in prædio maneat, relocasse videtur, rusticum ad annum, urbanum donec habitavit, nisi in prima locatione aliud tempus expressum fuerit *l. 13. §. ult. ff. Loc.* Et si filius emancipatus retinet peculium, pater vivus donasse ex postfacto id videtur, quia præsens patitur; non vero mortuus legasse, quia tunc amplius præsens non est *l. 3. §. 2. ff. d. don. §. 20. v. peculium Instit. d. leg.*

§. XIII. III. Facti alieni requisitum est, *ut prohibere queamus.* Non enim videri possumus consentire illi actui, quem impedire non valemus, neque videtur consensus seu libera voluntas; quando aliter non possumus. Inde si quis præsens exhæredanti se patri, vel liberi matri secundas nuptias appetenti non contra dicant, nec ille tamen in exhæredationem, nec hi in nuptias, quas prohibere non poterant, consensisse videntur ad effectum tollendi beneficii *leg. fæmina 3. C. de secund. nupt. Surd. Decis. 99. n. 3.* Et sic in aliis.

§. XIV.

§. XIV. IV. Requisitum est *Silentium nostrum*. Quod verò cum supra §. 20. latius tractaverim, Benevol. lectorem brevitatis studio illuc remitto.

§. XV. Ex his igitur deductis facti in tacito consensu autoritas satis elucet, ita ut conjunctis aliis hucusque enarratis requisitis verum, quamvis tacitum, constituat consensum; Danvæ tamen & nonnulli casus taciti consensus, quos anomalos haud inepte vocavero. Consistunt enim omnes in facto aliquo, ut & aliis hæctenus enarratis requisitis, rei tamen vel jam perfectæ accedunt, vel alterum §. 3. enumeratorum requisitorum deest.

§. XVI. Quorum I. est *Subscriptio*. Is enim qui instrumento jam confecto subscribit, perinde ei, dummodo legerit, consentit, ac si sua manu totum instrumentum scripsisset. *l. 26. §. 1. ff. de pign. l. 40. §. 3. ff. de statu. lib. l. 1. §. 8. ff. ad L. Corn. de fals.* Unde si absens vel qui alias prohibere non potest, v. gr. filii in instrumento dotali matris, vel exheredati testamento, vel debitor tabulis emptionis pignoris subscripserint, consensisse omnino videntur *l. 8. §. 15. quib. mod. pign. solv.* Equidem distinguunt DD. an ut testis subscripserit, an verò ut principalis, & priore casu nolunt pro consensu id haberi per *l. 39. ff. d. pign. act. l. 34. §. 2. ff. d. legat. 2.* quod nobis non probatur; cum omnis subscriptio fiat ad confirmandum ea quæ scripta sunt, & proinde omnino consentire iis videtur ille, qui ad confirmationem eorum subscriptione sua sciens concurrat. Et sane si, qui ut nudus minister, & ut ajunt amanuensis scripsit, consensisse videtur juxta *d. l. 26. §. 1. ff. de pign.* multò magis qui ut testis subscripsit, cum hic confirmet, non ille. Decepti si sunt DD. per *d. l. 39. & d. l. 34.* Verum in *d. l. 39.* non obest debitori subscriptio, non quia ut testis subscripsit, (quod falsum quoque est, cum eodem modo subscripserit quo in *d. l. 8. §. 15.*) sed quia constabat falsa esse, quæ scripta erant, quæ propter subscriptionem non fiunt vera; hæc enim consensum saltem, non verò ex falsis vera facit. In *d. l. 34. §. 2.* autem non negatur testem fidei commissarium

missarium consensisse divisioni hæreditatis & domus relictae, sed eum consensum nihil ipsi obesse, quia actus ille ipsi non est contrarius, sed aditio prius fieri & res dividi debuit, quam ipse petere posset.

§. XVII. II. est. *Acceptatio literarum*, quibus res gesta alicui denunciatur, hic enim, si retentis literis non protestetur, videtur cum literis id quoque, quod referunt acceptasse *l. 16. ff. d. SCt. Maced. Clem. 1. cap. 1. de Procur.*

§. XVIII. III. Sunt alia facta quibus ejus, cujus res ab alio gesta est, animus & quod ei acquiescat, juxta ea quæ initio diximus, satis aperte proditur. sc. *si alia ejus facti ratio commoda dari nequeat, quam quod probandi animo egerit, ut in l. 9. ff. d. Dol. mal. l. 11. C. de Eviēt.* Unde filios, qui cum vitrico in eadem domo, & in ejus convictu postea fuere, hoc facto consensisse nuptiis matris decisum à Senatu Mantuano refert Joh. Pet. Surd. *Dec. 99. n. 12. & 15.*

§. XIX. IV. est, quando actui certum tempus lege præfixum est intra quod contradicere dominus, vel is cujus interest, debet, non enim videtur amplius contradicere velle, qui tempus quo id potuit, elabi patitur. Uti si compromissor laudo intra 10. dies non contradixerit *l. 5. C. de recept. arb.* si hæres intra tempus deliberationis non repudiaverit *Perez. C. d. jure delib. n. 5.* Ita à re judicata, etsi adeo nulliter judicatum sit, ut nec citata nec defensa pars fuerit, non tamen recedi potest, si non, ut primum pars cognovit, contradixerit per text. express. *in l. 3. C. quom. & quand. jud.* qui textus nec de appellationis aut restitutionis magis, quàm nullitatis remedio intelligi potest; præterquam enim quod absolute statuit, non esse recedendum à judicato, cui pars sciens non illicò contradixit, ratio quoque adjecta generalis sit, non potest de appellatione intelligi, quæ nec quærela dici solet, nec illico, quod indefinitum est *arg. l. 12. §. 2. ff. rem. rat. hab.* sed intra definitum tempus interponitur; nedum de restitutione, quæ in iis quæ ipso jure nulla sunt, locum plane non habet. *l. 16. per tot. ff. d. minor.* & satis ex textus tenore apparet,
agi

agi de sententia quæ in rem judicatam jam abiit, & tantum ex capite nullitatis adhuc impugnari posset, si ei nondum consensus esset. Sane de tali tantum nullitate textum intelligo, quæ solius partis præjudicium infert; tertio enim nec expresso consensu obesse potest, uti si nullitas sit ex incompetencia judicis. Eodem fundamento nititur quoque materia usucapionis, certum enim tempus præscriptum est Dominis, ut in res suas inquirere possint, ceu dicitur *in pr. Inst. de Usucap.* quod proinde si negligent, ipsi alienasse & repudiasse videntur, ut dicitur in *l. 28. pr. ff. d. V. S.* adeoque nec ignorantiam prætereundum possunt, quia tempus tam laxum ipsis concessum est ut inquirere possint. *d. pr.* Requirit enim jura patresfam diligentes in rebus suis servandis. Quod vero ignorantia justa, & ut ajunt, invincibilis appareat, rescindi posse usucapionem æquitas suaderet ex clausula generali in *l. 1. ff. ex quib. caus. §. 20.* Denique *V. est, si culpa, dolus, vel contumacia quedam accesserit, in cujus pœnam silentium pro consensu habeatur*, uti hac de causa lis sæpe habetur pro contestata, causa pro conclusa, positiones pro confessatis *l. 11. ff. de Interr.* Quemadmodum vice versa idem quoque ex singulari favore sæpe fit; uti patris furiosi non dissensus pro consensu habetur, cum in nuptiis filii *princ. Inst. de nupt. l. 25. c. eod.* tum in adeunda hæreditate *l. 52. pr. ff. d. acq. hered.* Et sic satis de *Consensu Tacito.* Deo vero T. O. M.

quod huic labori per vires benigne præstitas tacite
quoque consentire voluerit, sit laus &
sempiterna Gloria.

F I N I S.



agere de sententia quae in eam iudicatum iam abijt, & factum est
 contra nonnullas rationes iudicialiter, & si notandum eorum
 tum esset, hanc de sententiam nullatenus intelligi, quae
 solius partis praesentis iudicialiter; tertio enim nec expresse con-
 scilicet esset potest, nisi nullus sit ex incompetentia iudicis.
 Eodem iudice pro nullo, quod materia suspensionis, cet-
 rum tunc tempus praesentis est Dominus, ut in his in-
 sententiam, cum sententiam non sit, quod proinde si
 non habet, ipsa iudicialiter & repudiale videtur, ut dicitur in A.
 per 1. 2. ad hoc nec ignorantiam praesentem possunt, quia
 tempus tam iuxta ipsas sententiam esse ut inducere possint, & per
 Rationes tamen praesentem dicitur in rebus suis servandis.
 Quod vero iudicialiter, & ut dicit, in rebus suis servandis
 etiam non de suspensionem tempus iudicis ex clausula gene-
 taliter, ff. ex parte can. 1. de sententia V. ell. de iuris, de iur.
 contenta praesentem accessit, in rebus suis servandis pro consensu ha-
 bent, ut patet de causis his iudicis praesentem pro contestata, cum
 pro contestata, possessionem praesentem, ff. de iur. Quod
 non in vice veris idem tempus ex ingenuitate iudicis in
 quae iudicis non dicitur praesentem habent, cum iudicis
 in rebus suis servandis, ut patet in eadem hereditate, in
 1. ad hanc, ff. de sententia, de causa facta. Deo vero T. O. M.
 quod iudicis praesentem praesentem praesentem praesentem
 praesentem praesentem praesentem praesentem praesentem
 praesentem praesentem praesentem praesentem praesentem
 praesentem praesentem praesentem praesentem praesentem
 praesentem praesentem praesentem praesentem praesentem

F I V I S

